



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

231 Ipso iuris etiam rigore cur non præferantur permutantes  
Expectantibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

ritur locus: *Æquitas* verò suadet vt ita resignantes præferantur istis Expectantibus, quia non nisi permutationis causa resignarunt. Et hæctenus quidẽ sunt omnia satis alba. Sed scrupulus oritur ex hac re maximus, quem nostros interpretes non sensisse, nedum sustulisse demeror equidem vehementer. videntur enim resignantes hi de iuris etiam rigore præferendi talibus Expectantibus, ita vt hac æquitatis benignitate Bonifaciana non magnopere videatur indignuisse. Nam si tacita subsit conditio resignationi quæ sit ex causa permutationis, quæ admodum stipulatio dotis tacitam continet conditionem *si nuptiæ sequantur* d. l. stipulationem. *π.* de iure dot. si, inquam, tali resignationi subsit conditio hæc *si permutatio sortiatur effectum*, quare non ipso iure vel de iuris rigore præferentur hi resignantes istis expectantibus? vel quare fuit resignantibus his opus hac Pontificis æquitate? Puto respondendum, ratione rerum contractui subiectarum, non esse tam fauorabilem in iure permutationem beneficiorum quàm fauorabilis est stipulatio dotis: quia permutatio beneficiorum, tãquam commercium de rebus verè spiritualibus vel rei spiritali connexis, odiosa semper est; & ob id conditionis huiusmodi tacitæ non magnam habet Ecclesiasticum seu Pontificium hoc ius rationem; sed iuxta naturam resignationis omnis propriam verè vacat beneficium quomodocumque resignatũ eo quòd omnes pactio- nes atque leges & conditiones à rebus huiusmodi

231  
Ipso iuris etiã  
rigore cur non  
præferantur  
permutantes  
Expectantibus

232  
Beneficiorum  
permutatio  
quàm sit o-  
diosa.